

dem generales et theoreticas, C. systema religionis ac ethices ex omni parte absolutum, bene connexum ac practicum N. Aliud porro est nonnullas sententias, tractatus etiam ac dissertationes edere de religione ac moribus et quidem speculativas et generales, quod fieri utique ab antiquis philosophis potuit, multoque magis a recentioribus, qui tot subsidiis religiosis instructi sunt, atque interdum factum esse concedimus; aliud autem integrum, absolutum ac bene constructum præbtere totius religionis atque ethices edificium cum solidissimo fundamento sive auctoritali sive unitatis atque sanctionis, nec non cum applicatione generalium principiorum ad proximam, quod nusquam ab ipsis factum est, ac seposita revelatione nunquam fiet. Nunquam convenerunt in hominis fine constituendo; nunquam in certis ethices naturalis atque obligationis principiis constabiliendi; nunquam stabiles regulas ad applicanda casibus particularibus principia virtutis, probitatis atque honestatis exhibuerunt; nunquam fines statuerunt, qui precepta a consilio seu a perfectione secesserant et varios culpas gradus determinerent; nunquam motiva omnibus communia et valida ad impellendum hominem ad virtutem, et retrahendum a vitiis proposuerunt. Mira semper in his omnibus aliisque, a quibus recensendis brevitas gratia abstineamus, viguit ac viget inter philosophos deistas ac rationalistas varietas, qui propterea nunquam ethice populum indigentiae accommodata dare potuerunt, nedum cultus, ut ipsi vocant, theoriam (1). Quare tenebrarum patroni, (id est, catholici seu supernaturalistæ) neque in iuste versantur neque calumniantur scriptores profanos, sed factum referunt, quod nostri lucis amatores nunquam destruerent.

Ad 5. D. Inter eos, qui eamdem revelationem sequi se professi sunt, sed multilam ac rejecto ecclesiæ magisterio, magna opinionum varietas obtinuit in eo et obtinet, C. qui integrum sub auctoritate ecclesiæ, subdist. in opinione levioris momenti, que nec religionis nec doctrinae moralis attinunt substantiam ac nondum definitæ sunt, C. secus N. alioquin jam non sunt catholici.

Ad 6. D. In refractariis et perduellibus, C. in catholicis sinceris N.

Ad 7. D. Si hominibus iis uti placuisse, C. si propria sensa potius quam legitimam auctoritatem a Deo constitutam sequi maluerunt N. Deus homini nunquam defuit, ut infra ostendemus, sive per primitudinem revelationem, sive per constitutam a se ecclesiæ: omnia enim snaviter fortiterque ad finem suum perducere maluit, quin vim inferre videretur

(1) Lockius in suo *Specim. Intell. hum.* lib. I, c. II, innumeris prope exempli variatibus ejusmodi exhibet, que inter veteres et recentiores populis et philosophos obtinuit. Quod pariter praestit Helyetus, serm. 20, c. 15. Consultatur de hoc argomento Spedalieri, *Diritto dell'uomo* I, IV, c. 14, et seqq., necon Manzoni, *Sulla morale cattolica*, c. 5. *Sulla distinzione di filosofia morale e di teologia*: ubi egregie hoc argumentum evoluit.

humanæ libertati, cui consultum ipse omni ratione voluit; et si maxima in se esset atque efficacissima divinitus a se constituta auctoritas. Sed si hominibus magis placuit evanescere in cogitationibus suis, quam eidem obtemperare, sibi imputent, si ortæ divisiones sunt.

PROPOSITIO III. — Cum humana ratio ex se motivi sufficientia non præbeat ad homines in officio continentis atque a vitiis retrahendos, iterum necessitas jure insertur divinae ac supernaturalis revelationis etiam in iis, que naturæ rationis lumine cognosci possunt.

Et hic factum enunciamus quod ab ipsa experientia eruitur; damus enim libenter philosophis, deistis ac rationalistis, humanam rationem cognoscere posse, teneri hominem ad cultum supremo numeri præstandum, animam immortalitatem esse prædictam, præmia poenæ ipsam manere post mortem, vitium esse fugiendum virtutemque sectandam aliaque id genus plurima, sola etiam inspecta natura humana conditione ejusque ad Deum relatione. At ubi hominorum animorum sinus introspicantur, inficiari ipsi non possunt ejusmodi notiones sufficietes non esse ad hominem ita regendum, ut in omnibus rerum adjunctis in officio ipse se continet atque ex virtute agat.

4. Quia non omnes, imo plerique non assequuntur vim naturalium ejusmodi demonstrationum, præsertim quod non pauci philosophi eas in dubium revocaverint, inno aperte negaverint (2).

2. Quia saepè dantur difficultas rerum adjuncta, in quibus homo constitutus ac sibi relictus, si alia non habeat motiva praeter ea, que ratio illi præbet, agre omniō, imo nullo modo adducitur ad sectandam virtutem atque ad injustam actionem vitandam; ut cum in astu vehementis cupiditatis reperitur, vel cum agitur de fama ac vita periculo, in injustæ potentium virorum insectationis discrimine, quibus vulgo homines cedunt (2).

3. Quia, qui in conflictu reperiuntur, facile sibi suadent, in ejusmodi casibus hominem non obligari ad tale vel tale facinus, dubia iis insurgunt de demonstrationis vi ac veritate, mens obnubilatur, nec videt amplius, quod antea evidenter cognoscere sibi videbatur; in subsidium adsciscit sapientium dubia, falsum dictamen facile adoptat.

4. Quia, quum ratio non nisi generalia suppeditat principia sive circa cultum sive circa vitæ futuræ præmia vel poenæ, nec determinet in particulari quo cultu, quibus in specie obsequuis divinitatem sibi homo demererit possit; quenam nos maneant præmia,

(1) Cons. Cic. *Academ. Quest.* lib. II, c. 4, videlicet iis fuerit non dicuisse melius; alias pecuniae cupiditas, gloria nonnullorum, multis libidinum servos ut cum eorum vita mirabiliter pugnet ratio; quod quidem mihi videtur esse turpissimum. » Cons. Roberti, *Della probità naturale*.

(2) Cons. Roberti, *Della probità naturale*, lib. II, c. 4. Videlicet iis fuerit non dicuisse melius; alias pecuniae cupiditas, gloria nonnullorum, multis libidinum servos ut cum eorum vita mirabiliter pugnet ratio; quod quidem mihi videtur esse turpissimum. » Cons. Roberti, *Della probità naturale*.

quenam poenæ et quamdiu duratur, præsertim quum poenæ juxta deistas aeternæ esse non possint; inde fit, ut omnem penitus vim amittant, et homo hæreat perinde ac si eas non cognosceret, præsertim si vitium utile sit, et virtus circumsepta et obsita difficultatibus, ut passim evenit.

5. Quia hæc omnia confirmantur ex agendi ratione veterum philosophorum (1), ac præsertim recentiorum deistarum, corumque omnium, qui ipsorum sectantur principia, omni revelatione seposita. Publice enim nullam isti, ut plurimum, religionem exercent, vitiis disfluent, dilectionis et charitatis actus in proximum, in arduis præsertim, vel omnino negligunt vel parviperpendunt. Et hæc quidem illi, qui de probitate quadam naturali atque honestate gloriantur, quibus ad honeste tamen vivendum tot insunt presidia, sive ex domestica institutione, sive ex quadam laudis et glorie cupidine, ex quadam decoro, virtutique insita vi, etc. Verum quid de infimæ plebis hominibus, quibus talia principia communia fierent?

Jam vaga prosiliet frenis natura remotis (2).

Omnibus nempe cupiditatibus simul ac libertas omnis tribuitur, nullum vitium est, in quod flagitosissimi non ruant ad omnia parati, nec ulla ratione contineri possunt, ut luctuosa experientia evincit, perinde nempe ac si nec Deus esset, nec ulla vel præmia bonis vel poenæ malis essent constituta.

Unde sic ratiocinatur: Data qualicunque humanae rationis vi in agnoscendis officiis, quibus homines erga Deum, proximum ac semetipsos obstrungunt, quum in humana ratione nulla sint motiva sufficientia et omnibus accommodata, qua efficaciter in omnibus rerum adjunctis impellere valeant homines, eosque vel in officio continere vel retrahere a vitiis, ut ex facto experientia omnium sæculorum comprobato evincitur, velint nolint deistæ ac rationalistæ, necesse est vel ut homines sine ullo freno brutorum more dimittantur ingenti omnium jurium ac societatis iactura, vel ut existat aliquod motivum extra humanam naturam positum, quod illa omnia præstet, divina nempe ac supernaturalis revelatio; seu quod idem est: Cum humana ratio ex se motiva sufficientia non præbeat ad homines in officio continentis ac retrahendos a vitiis; iterum necessitas jure merito insertur divinae ac supernaturalis revelationis etiam in iis, que naturali rationis lumine cognosci possunt (3).

DIFFICULTATES.

Obj. 1. • Ipsa humanae mentis natura et summi nu-

(1) Sic de sui temporis philosophis scribent Cicero, *Quæst. Tusc.* lib. II, c. 4. « Videlicet iis levitate et jactacione, ut iis fuerit non dicuisse melius; alias pecuniae cupiditas, gloria nonnullorum, multis libidinum servos ut cum eorum vita mirabiliter pugnet ratio; quod quidem mihi videtur esse turpissimum. » Cons. Roberti, *Della probità naturale*.

(2) Horat. lib. II, sat. 7.

(3) Optime S. Thom. p. I. q. 1. ostendit, quod circa ea etiam, que de Deo ratione humana investigari possunt, necessarium fuit hominem instrui re-

PERRONE. I.

minis idea recte efformanda omnem excludunt supernaturalis revelationis necessitatem; quemadmodum enim omnia alia animantia iis viribus prædicta sunt, quibus naturæ sue fines attingere possint, ita procul dubio homines ratione sibi concessa præstant reliquis animalibus, eisdemque facultas data est ea omnia intelligendi et observandi, que ad summos humani generis fines obtainendos, scilicet ad officia tuenda et ad religionem colendam, spectant. Deinde

2. homo, simul atque eo pervenit, ut rationis et officii sui sibi conscius sit, necesse est rationem teneat tanquam supremam cognoscendi vim, cuius decreta in omnibus vel cogitationibus vel actionibus servare debeat. Quicunque autem, sperto hoc rationis humanae principatu, revelationis, que modo supernaturali ad certos homines delata dicitur, eam esse auctoritatem statuit, ut ei sine ulla dubitatione caco quodam instinctu aut sensu parendum sit, is veram hominis naturam ac dignitatem tollit atque everit.

3. Humana mens legibus cogitandi ipsi innatis subjecta, quaecumque vel sensuum ope perceperit, vel cogitatione ac meditatione repererit, proxime quidem ad causam aliquam in mundo sensibus obvio vel ad origines in ipsa mente latentes referre cogit; ideoque stultæ esset arrogantia, si causam eventus in rerum natura observati aut origines veræ religionis inter homines deprehense in animæ facultatibus reconditas non statim perspicerit, eas prorsus negare velle, et supernaturali ac miraculosi eventum fingere, cuius certa quedam nota demonstrari omnino nequit. Si qui autem sunt, qui supernaturalismum, ut vocant, rationali tuiti, religionem christianam rationi prorsus convenire censem, nihilominus tamen eamdem supernaturali modo revelatam esse contendant, ii leges cogitandi a Deo ipso homini data transgrediuntur; nam quæcumque religionis doctrina menti humanæ dicitur plane convenire, ea ex hac ipsa ad leges ejusdem accommodate repetatur necesse est.

4. Quum plures religionis doctrinæ, que vulgo positivæ dicuntur, revelationis divinae ejusque supernaturalis ac miraculosæ dignitatem sibi arrogaverint, nisi quis cæco quodam arbitrio alteri preferre velit, nulla alia est ratio et via eas examinandi, quam ut illarum placita cum iis, que via naturali recte rationis de Deo ejusque voluntate ipsi innotuerint, diligenter componat et ad hanc normam sine omni superstitione exigat. Nam qui hac norma in exploranda religionis, que supernaturalem se profiteatur, veritate uti noluerit, ei verendum esset, ne, si forte dæmon aliquis aut homo se Dei legatum proliferetur, aut falsa aut mala pro veris et honestis venditare auderet, placita summo numine indignissima tanquam ab ipso revelata sibi obtruderentur.

velatione divina, quia veritas de Deo per rationem investigata a paucis et per longum tempus et cum admixtione multorum errorum homini proveniret, a cuius tamen veritatis cognitione dependet tota hominis salus, que in Deo est. » Eadem inculcat et fusius evolvit tum 2. 2. q. 2. 21. 4. in corp. tum *Contra gentes* lib. I, c. 4.

(Deux.)

tur. Quot mala facinora, neglecta rationis cultura, obtentu numinis, et revelationis divinae inter homines patrata sint, historia gentium abunde docet. 5. Accedit, quod omnino nulla revelatio, quæ sicut historia aliorum testimoniis inititur, tam certam potest nobis persuasionem afferre, quam quæ ex ratione proficiuntur, cuius decreta homini sua ipsius conscientia innotescunt. Quo magis autem religio intimæ humanæ mentis conscientiae insita fuerit atque impressa, eo certius homo beneficam ejus vim in variis vītē humanæ vicissitudinibus experietur. 6. Denique argumentum speciosissimum, quo revelationem supernaturalem ostendunt (*supernaturalistæ*), *petitionis principii*, quod vulgo dicitur, vitio premitur. Id enim sumitur ex iis, quæ in aliquo libro, qui modo quodam supernaturali confessus esse perhibetur, leguntur. Huic autem ipsi fidem esse adhibendam hoc argumentum scilicet persuadere conantur, quod supernaturalem revelationem contineat. Itaque demonstrandum pro demonstrato ponunt. Ac si quis, ut sit, rationis humanæ imbecillitatem religionisque naturalis insufficientiam e peccato originali, ex lapsu protoplastorum scilicet oriundo, demonstrare velit, is sane in eodem errore versabitur. Nec minus in eandem reprehensionem incurrit quicunque argumentationibus e ratione et philosophia deductis fidem *religiosam*, a ratione et philosophia plane alienam, ad earum præcepta non esse exigendam statuerit; ergo. Hactenus Wegscheider (1) ad suum rationalismum statuendum.

Resp. generatim D. Et hæc usque adeo non destruunt factum a nobis statutum, ut ne attingant quidem, C. destruunt vel attingunt N. Stat adhuc tota argumenta a nobis inde deducti firmitas, stant omnia quæ nexus legitimo ex eo consequuntur. Sed jam expendamus singula ab adversariis asserta.

Ad 1. N. A. Ad arg. sive rationem N. paritatem. Cetera enim animantia, cum instinctu ac necessitate agant, iis utique mediis omnibus a natura instruta esse necesse est, quibus finem suum attingant. At vero homines, cum ratione ac libertate prædicti sint, possunt utique a fine suo aberrare, prout eos sive quoad religionis cultum sive quoad officiorum observantiam revera et aberrasse olim et nunc quoque temporis turpiter aberrare historia et experientia testantur; quibus insuper edocemur nunquam per se homines a publica ejusmodi et universalis aberratione eximi potuisse vel posse, ut ostensum a nobis est, absque externo aliquo adjumento, quo non solum rite instituantur, sed præterea ad exequenda ejusmodi officia moveantur et impellantur. Hac ratione non solum hominis naturæ et dignitati opportune proximum est, sed præterea etiam homo ipse et tutius ducitur, et occasio ei præbetur tum exercendi virtutes sibi proprias, tum melius divinas perfectiones cognoscendi.

Ad 2. D. Id est, posita gratuita hypothesi de

(1) Op. cit. proleg. c. 1, § 11. Quod si cuiquam videri possint obscuræ ejusmodi difficultates ita expositæ, meminisse is dehet illas de verbo ad verbum ex citato auctore esse desumptas.

plena officiorum cognitione et motivorum ad illa efficaciter adimplenda, Tr. vel C. sublata ejusmodi hypothesi N. Et hoc est præcise de quo quæritur; omnium porro sacerdorum experientia et factum ipsum ejusmodi hypothesis destruunt. Rationalista igitur vere principium petunt, dum assumunt, quod esset probandum, et falsum omnino est. Ad conf. *quicunque autem spreto hoc rationis*, etc. D. id est, qui ratione non tribuunt nisi eam partem, quæ ei competit, N. qui nullo modo rationem consulunt, imo et excludunt atque spernunt C. Hoc vero non contendunt, qui rationem revelationi subjiciunt. Perperam proinde affirmant rationalista, cæco instinctu aut sensu ab homine parendum esse supernaturali revelationi, quæ rectum rationis usum nunquam proscriptis, imo commendat. Rectæ propterea rationis munia in revelationis negotio in eo sita sunt, ut expendat fundamenta, quibus hæc innititur, et deinde, hac semel constituta, se submittat in iis, quæ ejus captum excedunt, quod ratio ipsa dictat; in ceteris vero, quæ ejusdem aciem minime superant, plura habet, in quibus se exerceat, ea evolvendo, quæ per revelationem didicit. Hæc autem agendi ratio nullatenus veram hominum naturam tollit atque everit, ut ipsi autem, sed impedit, quominus natura ac dignitas humana rursum concedant, prout revera hoc destitutas prædio concidere necesse est.

Ad 3. D. Nisi certo constet ab alia causa, quam a naturali esse repetenda, C. alias N. Et hic rursum principii loco constituunt adversarii (qui nos arguunt *petitionis principii*) quod falsum est; asserunt et supponunt, sed non probant, humanam rationem absque externo ac supernaturali subsidio tum omnia religionis ac morum præcepta agnoscere tum motiva ad ea exequenda, quod est contra factum. Scilicet quidam constanti vultu tanquam ex delphico tripode asserere et illud argumentis stabilire non idem est P'num illud optime adversarii nostri præstant, alterum negligunt. Ad Prob. *stulta eset arrogantia*, etc. idem esto responsum; addatur non singi a nobis *supernaturalem ac miraculosum eventum*, cuius certa quædam nota demonstrari omnino nequeat, sed plane demonstrari, prout evidenter patebit, cum sermo erit de divinae revelationis existentia, ubi pariter ostendemus certas quasdam esse notas ad supernaturale ejusmodi eventum secernendum. Ad Conf. *si qui sunt, qui supernaturalismus... ii leges cogitandi... transgreduntur*, etc. N. Aliud enim est, facta revelatione earum veritatum, quæ in nature ordine continentur, comprehendere eas consentaneas esse rectæ rationis principiis, quod factu difficile non est; aliud vero illas omnes veritates, seposita revelatione, cognoscere, quod adeo difficile est, ut nedum integri populi plurium sacerdorum decursu, sed vel ipsi sapientissimi philosophi in eo cœcūtiverint et toto cœlo erraverint, ut ex facto ostendimus (1). Duo hæc adversarii commiscent in sua thesi, quæ commisceri nec possunt nec debent.

(1) Plato communione uxorum in sua republica admisit. Socrates Theodotam quamdam meretriceum

Hinc negamus illationem: *quæcumque religionis doctrina menti humanae prorsus dicitur convenire, ea ex hac ipsa ad leges ejusdem accommodate repetatur necesse est*; detecto enim sophismate, ejusmodi illatio evanescit. Adnoto præterea, tanquam certum rursus assumi ab adversariis divinam revelationem non complecti nisi eas veritates, quæ ordinem naturalem non prætergrediuntur; complectitur autem revelatione plures alias veritates, quæ humanae mentis aciem superant, ut suo loco ostendemus, quare rursum peccat adversariorum argumentatio, et eo laborat vitio, quod falsi suppositi vulgo dicitur.

Ad 4. D. Et inde sequitur rationem per se posse omnia religionis et morum officia cognoscere, vel cognita ab ipsa fuisse seposita revelatione, N. ut patet ex dictis; sequitur rationem propositas sibi morales veritates cognoscere tanquam rectis principiis congruentes C. Recolantur nuper dicta in resp. ad Conf. 3. difficultatis. Eadem semper æquivocatione laborant ejusmodi argumenta. Ad Conf. *quot mala facinora, etc.* D. Ex neglecto examine accurato motivorum, quæ vocant credibilitatis, C. rite adhibito hoc examine N. Quæ vero ejusmodi motiva sint, inferius aperiemus.

Ad 5. vel N. vel D. Persuasionem non afferat ejusdem ordinis C. alterius ordinis, quæ eamdem patiat certitudinem seu saltem æquivalentem N. Ex logice enim omnes norunt pro subjecta materia tripliçem distingui certitudinem, metaphysicam, physicam atque moralem; et postremam hanc, ut reliquas, quæ ad institutum nostrum non pertinent, taceamus, dummodo plena sit, conditionesque omnes præserferat, quas illi requirunt, nos tutos æque de veritate reddere ac certitudinem metaphysicam, atque in eam deum resolvi. Hinc non minus certus sum me existere ex testimonio sensus intimi, ac existere Romanum vel Lutetiam Parisiorum ex testimonio ceterorum hominum. Talis vero est certitudo, cui innititur existentia revelationis, ut suo loco ostendemus. Ergo falsum est, quod ab adversariis adstruitur.

Ad 6. N. Tantum enim abest, ut istud sit argumentum *speciosissimum*, ut sine illo res plane confici possit, prout re ipsa a nobis præstitum est; etenim nunquam ad illud recurrere debuimus, ut ex tota hucusque instituta disputatione patet, in qua præstatum argumentum non solum non attigimus, sed ne innuimus quidem; reliqua proinde superstructa corrunt (1).

docet artem homines alliciendi, apud Xenophontem *De dictis et factis mirabil.* lib. iv, c. 11. Epictetus in Enchir. c. 42. fornicationem ut licetum admittit. Aul. Gellius, *Noct. attic.* lib. xix, c. 41. refert versus amatorios Platonis, quibus scelestè pederastia condenatur; sed me dies deficeret, si omnia errorum monstra, quæ veteres admirerunt, recensere vellem. Recentiores deistæ, ut suo loco ostendemus, non minus absurdæ et impia docuerunt.

(1) Infirme adeo virtutis sunt argumenta, quibus theologie in Academia fridericiana professores inexperiti juveni illudunt camque decipiunt! quibus illi, qui de Christiano nomine gloriantur, fundamenta subruunt christianæ religionis et cuiuscunq; supernaturalis revelationis, ut eam a sola ratione repeatant, id est, ut solum deismum statuant sub christiani no-

CAPUT III.

DE NOTIS DIVINÆ AC SUPERNATURALIS REVELATIONIS.

Frustra divinæ ac supernaturalis revelationis possibilis atque necessitas fuisset per nos constituta, nisi præterea adstrueremus certas notas ad eam discernendam ab hominum fraude.

Hujusmodi notarum potissimæ, omnium consenserunt, sunt miracula et prophetæ. Haec nota si vere existant in confirmationem alicujus doctrinæ, vel ad comprobandum alicujus missionem, quæ a Deo esse perhibeantur, nullum dubium superesse potest sive circa divinitatem illius doctrinæ, sive circa divinam missionem illorum, in quorum gratiam edita illa sunt.

Deistæ ac rationalistæ, cum nullam supernaturalis revelationem agnoscant, nullum pariter agnoscent opus supernaturale ad eam confirmandam.

In rationalistarum systemate religio, quæ *supernaturalis* dicitur, nil aliud est, quam ipsa religio naturalis sub forma *positiva* proposita Dei nomine, *arbitrii* nonnullis additis institutis, ac *mythis* (1) involuta ad quamidam apud rudes accupandam auctoritatem. Quare factum est, ut religiones mosaica et christiana *arbitria* ab ipsis nuncupentur passim, et ex ea parte, quæ prodigiosa facta vel narrationes exhibent, *mythologicæ* vocentur.

Ex ejusmodi principiis facile est cognoscere, nullas ab his auctoribus veras ac proprie dictas notas agnoscere ad supernaturalem divinam revelationem discernendam. Cum vere hoc sistema sibi sumpserint biblii germanie protestantes, sit, ut veluti mythi ab ipsis traducantur et juxta naturæ leges passim explicentur miracula omnia, ut suo loco prolatis exemplis ostendemus.

Ut ejusmodi ambages atque impietatem abjiciamus, remque totam a suis principiis exordiamur, declarabimus quid *miraculi* et *prophetæ* nomine intel-

minis larva! Enim vero tales sunt fructus, quos demum in Germania protulit protestantismus! Attamen, ut melius dignosci possit quo istiusmodi professores tendant, opera pretium erit eum versare librum, quem nuper edidit Cl. August. Theiner, *Storia del seminario ecclesiastico, o gli otto giorni a Sant'Eusebio a Roma. Roma 1834.* epoche iii, ubi totum hoc negotium repetit a suis causis. Confundi tamen non debent protestantes, quos vocant rationalistas seu naturalistas, de quibus agimus, cum aliis qui supernaturalistæ dicuntur, quicque adhuc revelationem retinent.

(1) En, quid *mythi* nomine intelligent neotterici protestantes rationalistæ: *Mythus* generatim est narratio quædam ad antiquissimum populi aut religionis instituti cuiusdam historiam maxime pertinens, quæ vel prorsus ficta est, vel factum aliquod aut placitum quoddam philosophicum additamentis fictis ac plurimæ miraculosis exornatum exhibet. Imbecillitas hominum rudiorum, qui curiatio re rerum naturæ et philosophiae cognitione destituti, et fervidore imaginandi vi ducti, religionis ideas sine involueris historicis et symbolicis neque ipsi capiunt, nec cum aliis communicare valent, et modus eas per traditionem propagandi *mythus* istos, quibus *omnium* religionum origines implicatae sunt, progenuit ac sustentavit; quemadmodum reliqua omnium gentium historia antiquior *mythus* referita est. Ia Wegscheider, op. cit. Cap. 1, § 8, n. b. Niebuhr, *Roemische Geschichte*, id